

SYMBOLAS

AD EXPLICANDUM

JESAJAE PROPHETAE

CAPUT QUARTUM

PREMITTENS

AD

AUDIENDAM ORATIONEM

QUAM

MUNUS PROFESSORIS THEOLOGICÆ EXTRAORDINARIJ

IN ALMA ACADEMIA TIGURINA

RITE SUSCEPTURUS

DIE XXXI. MENSIS OCTOBRIIS HORA XI

DE

RELIGIONIS CHRISTIANÆ NATURA *ΘΕΑΝΘΡΩΠΙΝΗ* QUA PERCIPienda

GRAVISSIMA RECENTIORIS THEOLOGICÆ PROBLEMATA

DISTINEANTUR

IN AULA ACADEMICA

PUBLICICE HABEBIT

OMNI QUA DECET REVERENTIA

INVITAT

IO. HENR. AUG. EBRARD

DR. PHIL. LIC. THEOL.

TIGURI.

TYPIS ULRICHIANIS.

1844.

Propheta sub finem capitis tertii inter reliqua populi Judaïci peccata imprimis luxuriam feminarum increpuerat, gravissimasque minas addiderat, fore ut omnis Judæorum fastus diris calamitatibus subverteretur, et infanda miseries superbiam exciperet. His actis capite nostro futuram esse ait conversionem populi, quam inde a versu primo usque ad extremum versum describit.

Quum non ignorarem, fere omnes interpretes *versum primum* arctius conjunxisse cum iis, quæ cp. 3 præcedunt, tamen non temere ea mihi opinio confirmata est, ut jam hoc primo versu Jesajam ab increpationibus ad promissiones transire censerem. Non calamitatis tantum magnitudinem evecturus hujus versus argumento tanquam uno aliquo exemplo infortunii utitur, sed, lætiora jam animo volvens, fore ait, ut Israëlitiæ *pœnis se peti intelligant* et castigationem suscipiant. Hanc meam opinionem ut comprobem, ceteris omnibus posthabitis in explicationem grammaticam et historicam versus primi omnia studia conferam.

In hac explicatione magna varietas est. *Maurero* quidem auctore fame compelluntur mulieres istæ, ut conjugium exoptent; neque quidquam nisi panem

necessarium vestimentaue desiderant, connubii voluptates sponte renunciant. In quo hæc mihi prima dubitatio oritur, vocabulum **רק** alio loco fuisse collocandum, ut *Maureri* exegesis confirmaretur. Hujus enim sententia hebraice ita erat dicenda:

רק לחמנו נאכל ושמלתנו נלבש יקרא-נא שמך עלינו

Præterea, quod majoris est momenti, numerus ille *septem* mulierum superfluous et a re alienus fuisset. Quam enim aliam ob causam uni viro *septem* mulieres sociantur, nisi ut *penuria virorum* significetur? (Cf. cp. 3, 25.) Quod si in penuria virorum summa calamitas posita erat, non conveniebat, annonæ deficientis, quæ minor erat injucunditas, simul mentionem facere; contra si in premente annonæ summa infortunii habebatur, quid quæso ineptius fieri poterat, quam orbam civibus terram obiter tantum attingere? Alterutrum dici poterat, aut: fame concitatas mulieres misso connubio fortunam tantum conjugum appetituras (tunc septeni numeri mentio fieri debuit nulla) aut: tota manu bello cæsa, puberes ita deficere, ut septenæ virgines uni viro competere cogantur. Sic autem ubi explicuerimus, *Maureri* sententia relicta jam *Gesenii* vestigia sequemur.

Hic quidem summi nominis vir ita suam, quam versui nostro inesse sententiam putat, reddit: „*Die* „*Weiber jagen auf die erniedrigendste Art den wenigen* „*übriggebliebenen Männern nach, um nur die Schande* „*des ehelosen Standes und der Unfruchtbarkeit von sich*

„abzuwenden.“ Sed cum polygynia inter Israëlitas non illicita esset, turpitudine non ea in re posita esse poterat, ut eundem septenæ virum mulieres competere, imo si quid turpe inerat, hoc in modo, quo desiderabant viros, quærendum erat.

Hic autem modus describitur verbis **לֵאמֹר לַחֲמֹנוּ** Sed quavis ratione hæc verba explicueris, vix turpitudinis notam demonstrare poteris. Aut suffixo plur. in vocabulo **לַחֲמֹנוּ** ad unam eandemque familiam constringuntur septem istæ feminæ (*»communi pane fruamur, communibus vestibus utamur«*; i. e. *nos omnes* unam simul constituamus familiam); atque id quidem minus quadrare dicam, siquidem res non nova fuit, complures uxores ad eandem familiam pertinere; sed fac, recta sit hæc exegesis, quæ quæso turpitudinis crimini materia objicitur? Aut suffixi istius auxilio mulieres sese omnes uni viro ita opponebant, ut sese solas (*nos, non tu*) sibi absque ullo viri incommodo et labore victum necessarium procuraturas promitterent, dummodo ignominiosa (quam putabant) cælibatus conditione liberarentur. Sed hujusmodi desiderium pro temporum istorum existimatione non turpe erat sed honestum. Denique cogitari posset, suffixo isto pro se quamque feminam sese cum viro constringere, ita ut una quæque dicat: *»Ego et tu, nosmet* communem nostrum panem edamus.« Hæc quoque si comprobari possit explicatio, turpitudinis accusationem non continet.

Rectissime igitur *Hitzigium*, collegam spectatissimum, ita intellexisse censeo locum nostrum, ut cum *Gesenio* in civium penuria, non in fame, miseriam summam positam esse censeret, a turpitudinis autem probro mulieres viros desiderantes defenderet. Jure ait, mulieres cælibatus tantum ignominiam effugere velle, jure eas in novam salacitatis ignominiam incidere negat.

His cognitis facilius me ea, quæ supra de versus primi consilio dixi, probaturum esse arbitror. Non solum liberas ajo mulieres istas a crimine lasciviæ, quo a *Gesenio* arcessuntur, sed et laudem eas habere contendo, atque ita *Hitzigi* explicationem etiam excedo.

Capite enim tertio gravis calamitas describitur, quæ omnis in eo constat, ut mulieres salaces et meretriciæ, voluptatisque, non sollertiæ, studiosæ, contumelia ac pudore operiantur. Nonne igitur eam voluntatem, qua cp. 4, 1 matrimonium desiderantes ad sollertiam paratas et ad honestam laboriosamque vitam bene animatas sese exhibent, *opponi* dicamus luxuriæ isti cp. 3 descriptæ? Autori vaticinii nostri non incognitos fuisse *Hosæ χρησµοὺς*, e capitis primi versibus 18 et 21 ostendi possit. (Cf. Hos. 4, 1 et cp. 1 — 3.) Quidni spectari dicamus a propheta nostro illud, quod a Hosea 2, 18 scriptum legimus? Ibi quoque uxor meretricia, postquam in terram desertam et in vallem miseriæ est deducta, querelas

fundit et volens legitimum conjugem desiderat. Una tantum eaque levis intercedit differentia, quod ab Hosea totus populus cum una muliere comparatur, apud Jesajam de singulis mulieribus populi Israëlitiçi partem femininam revera constituentibus sermo est. Convenit cum hoc discrimine, quod mulieres nostro loco non Deum sed conjuges humanos appetere dicuntur. Quanta autem supersit inter ambos locos similitudo, quis est quin perspiciat?

Quæ si recte sunt monita, versu primo capitis nostri propheta non describere calamitatem pergit, sed jam ad conversionem populi prædicendam transit.

Eo facilius sententia *versus secundi* intelligitur. Namque læta ibi cani, dubium non est. Ceterum, quod sit hujus versus argumentum, hac de re mirum in modum inter se dissentiunt interpretes, ita quidem, ut singulas interpretationes, explicationes, argumentationes, confutationes perlustrantibus fere infinita nobis moles objiciatur, quæ vix disponi et expediri posse videtur. Quam ad digerendam opus est, ut problemata dogmatica rei immista probe distinguamus a difficultatibus mere exegeticis, deinde ut magnum explicationum numerum ad certa quædam genera revocemus.

Et quod quidem ad difficultates exegeticas attinet, summum exegeseos officium in eo contineri perspicuum est, ut, quid sit צמח יהוה, quid פרי, הארץ, recte definiatur. Atque hanc problematum

naturam respicientibus facile nobis continget, ut magnum variarum interpretationum numerum certo quodam ordine disponamus. Duo enim potissimum genera interpretationum distinguere, mentem subit, quorum alteri eorum omnium adnumeremus expositiones, qui sub voce צמח יהוה eandem rem intelligunt, quam sub voce פרי הארץ; alteri placita eorum, qui vocem צמח יהוה voci פרי הארץ vel opponunt, vel saltem alteram ab altera re discernunt.

Illi et פרי הארץ et צמח יהוה de fertilitate terræ Palæstinensis intelligunt, ita quidem, ut צמח de rebus, quæ proveniunt, genitivum יהוה autem tanquam genitivum passivum explicent. Itaque צמח יהוה id habendum est, quod Jehova creante, beante, prosperante provenit.

De hac explicatione, quatenus artem grammaticam spectat, litem non moveo. Possem quidem interrogare, num naturæ consentaneum esset, terræ proventum temere hoc nomine »proventus Jehovæ« nominare, vel quæ ratio intercederet, cur ad Jehovam potissimum autorem hoc contextu fruges agri revocarentur. Alia enim res esset, si antea de penuria frugum, de fame, sermo fuisset (id quod Maurerus contendit, quum nostræ rationes ita ferrent, ut negaremus). Sane, si propheta iis qui antecedunt versibus minatus esset, fore ut Jehova terræ frugibusque ejus benedicere cessaret, jam pergere potuisset: »Tunc denuo aderit proventus Jehovæ.« Nunc autem,

quum bello, non fame, castigatum iri populum scripsisset, nescio, quibus rationibus eo perducipotuerit, ut proventum terræ subito tanquam »proventum Jehovahæ«, i. e. proventum Jehova beante provenientem, designaret.

Sed hæc missa faciam. Major oritur difficultas, qua impediatur, quominus huic explicationis generi assentiam. Quæritur enim, quæ sit totius commatis sententia. Quod si ita intelligeremus: Paucis superstilibus proventum terræ decoris locum suppleturum esse, i. e. decus, divitias, vitæ ornatum defuturum, ejusque loco jejunum panem adfuturum, sed si ita locum intelligeremus, sententia a contextu prorsus esset aliena. Contra si explicationem *Gesenii*, quam in lexico exhibuit, eandemque *Maureri*, *Hitzigii* collegæ, *Ewaldi* secuti vocabulum לצבי vertimus »ad »lætitiā, ad decus«, bona quidem atque commoda aderit sententia: »paucis superstilibus terræ proventum opulentiae, decori, lætitiæ fore«, i. e. summam frugum copiam adfore; sed hæc ipsa sententia nova profecto et mira ratione a propheta expressa esset. Quis quæso, si in animo habuerit dicere, affatim fructuum adfuturum, ita se exprimet: »Fructus decori erit« —?

Denique mihi, quotiescunque verba versus secundi sincero animo perlegi, ita institutus esse videbatur vocabulorum et sensus et contextus, ut צמה יהוה voci פרי הארץ quodammodo opponeretur.

Quo magis enim צמח et פרי unam eandemque proventus notionem exhibent, eo magis suæ fuerint oportet prophetæ rationes, cur primum de proventu *Jehovæ*, tum de proventu *terræ* loqueretur. Redit igitur prima illa difficultas, quam in expressione צמח יהוה sitam esse, memoravi, atque novo quidem quasi pondere aucta. Magis magisque abhorrere videtur a dicendi genere naturæ consentaneo, auctorem unum eundemque terræ proventum solius parallelismi causa duabus istis diversisque inter se vocibus dixisse, ita quidem, ut vocem simpliciore, magis perspicuam, magis congruam, et quasi ultro se offerentem voci quæsita, quæ nulla fere ratione commendabatur, postponeret. Ubicumque enim parallelismi gratia expressio proxima sive naturalis et expressio quæsita vel prægnans juxta se ponuntur, hæc istam, non ista hanc excipere solet. Autores ab expressionibus humilioribus exsurgere solent ad dicendi genus grande et sublime; non autem a dicendi genere sublimiore et obscuriore ad jejunam explicationem descendere.

Quorum omnium ea vis est, ut lubens me ad examinandas explicationes eorum convertam, qui voce צמח יהוה idem, quod voce פרי הארץ, exprimi negent. Quos inter primus idem ille nobis *Gesenius* occurrit, qui, quum in lexico aliud statuisset, in commentario pristinam illam *Grotii* interpretationem est secutus, cui *Jo. Dav. Michaelis*, *Dathe*, *Vogel*, *Eichhorn*, *Koppe* et ipsi sese addixerunt. Voce

צמח יהוה futuram aiunt populi Israëlitici subolem significari, proavis pietate moribusque præstantiorem, eosdem igitur, qui alias פְּלִיטָה-יִשְׂרָאֵל nominantur. Quod autem ad totius commatis sensum attinet, brevior sim in referenda refutandaque *Eichhornii* sententia, qui invito sermonis humani genio sub פְּרִי הָאָרֶץ *posterios* subolis superstitis intelligit. Majore cum jure ceteri, quos alterius explicationis autores duxi, *Grotius* igitur cum *Gesenio*, *Michaeli*, *Dathio*, *Koppio*, *Vogelio*, hanc fere sententiam verbis prophetæ inesse censent: »Istis temporibus suboles pia, quam Jehova »populo ingrato gratificabitur, decori splendorique »erit terræ Palæstinensi; hujus autem terræ proven- »tus illis iterum incolis superstitis fons gloriæ et »opulentiae erit.« I. e. pietas incolarum et fertilitas terræ invicem sibi respondebunt.

Sententia, fateor, summopere apta; sed vocabulorum et sensus et constructio invita! Quod enim ad sensum, »suboles pia, quam Deus patribus im- »piis concedit«, arte quadam et violentia per צמח יהוה exprimeretur. Dicenda erat צמח העם. Proximum erat, genitivi auxilio dicere, quorum majorum posteri designarentur; alienum erat, patres tacere et posteros ad Jehovam, cujus non posteri erant, sed quo beante patribus nascituri erant, referre. Sed etiamsi vocem צמח יהוה in eum sensum accipere vellemus, ut genitivo non pater, neque quasi radix, e qua צמח provenit, sed hortulanus, qui ei

prospicit, significaretur, tamen constructione totius commatis ista in explicatione acquiescere vetaremur.

Etenim si animis sinceris periodi structuram adspexerimus, haud diu profecto nos latebit, parallelismum ita esse dispositum, ut vox צמח יהוה responderet voci פרי הארץ, vox לצבי ולכבוד voci לגאון ולתפארת, deinde ut et ביום ההוא יהיה et לפליטת ישראל ad utrumque membrum æque pertineret. Hoc autem Grotius ceteri sua explicatione negare coguntur. Invita versus nostri dispositione statuere eos oportet, לפליטת ישראל idem significare, quod צמח יהוה, et ad alterum tantum hemistichium pertinere; in priore autem hemistichio id quod voci לפליטת respondeat, aut deesse aut supplendum esse (nempe לארץ). Quam ob causam facere non possum, quin aliam interpretationem indagem, qua structura et dispositio commatis incolumis servetur.

Offert se ista Vitringæ, Rosenmülleri, Hengstenbergii explicatio, quorum autoritate צמח יהוה et פרי הארץ sibi aliquatenus respondent, aliquatenus opponuntur. Utrumque verbum de Messia intelligendum esse, contendunt; altero divinam altero humanam ejus naturam significari. Ita igitur eorum vestigia secutus verteres: » Illis temporibus filius Dei » gloriæ et honori, et filius hominis decori et splendori erit superstitibus populi Israëlitici.«

Sed nescio, utrum exegeticis magis an dogmaticis difficultatibus obruamur. Sane ab omnipotentia

et omniscientia divina nil obstat, quominus Deum hoc vel illud ecclesiæ christianæ dogma jam mille annos ante Jesajam atque adeo ante Moſen expressis verbis manifestare potuisse arbitreris, dummodo duas quasdam proprietates divinas ex essentiæ divinæ abundantia exceperis, vivique numinis naturæ eas substitueris. Potuit igitur Deus pro sua omnipotentia et omniscientia Jesajæ æqualibus revelare illud de duplici natura Sospitatoris dogma; sed pro sapientia sua non debuit. Respicere leges ingenii humani paullatim excolendi, proprio numine cogeatur; captui Israëlitarum tam proterve illudere et sanctitate et bonitate sua vetabatur! Nam quis, quæso oroque, licet in versu nostro expressis verbis de filio Dei hominisque sermo fuisset, hoc intelligere potuisset inter eos, qui vix prima ac tenuissima ideæ Messianæ lineamenta viderant adumbrata? Quid enim aliud Abrahamus a Deo acceperat, quam fore, ut nomine subolis ipsius ceteræ gentes sibi benedicerent? Quid aliud Moſes, quam fore, ut propheta excitaretur ad ipsius instar, qui fatale istud inter Deum hominesque discrimen prorsus tolleret? Quid Davides cecinerat, nisi spem regis perfectioris?*) Quid prophetae minores, quotquot ante Abasi ætatem vixerant, nisi instans a Deo supplicium misericordia divina in dies

*) Nam ne secundus quidem psalmus (quo, me arbitro, vaticinium 2 Sam. 7, 11 — 14 respicitur) metaphysicum de Filio Dei dogma continet.

dilatum iri, donec spiritu divino effuso, Davidis turgurio restituto, populus Israëliticus ita esset emendatus, ut extremo gravissimoque iudicii universalis examine petitus suscipere posset explorationis divinæ severitatem, et a iudice æterno justificaretur non condemnaretur? Quid igitur huic populo, hæc tantum, non plura, edocto, cum dogmate de filio Dei hominisque? Sed fac id intelligere potuerint, fac, cognitam habuerint de Christo doctrinam, quomodo quæso iis in mentem potuit venire, his verbis, qualia nos nostro versu legimus, istam inesse doctrinam? Conversi igitur ad difficultates exegeticas merito interrogamus, num hoc contextu ullo quoquam verbo præparata fuerit idea Sospitatoris? Numquis incidere potuerit in cogitationem, ac si de Christo hic ageretur, quamvis non de filio Dei hominisque, sed de filio Dei et de filio hominis, ac si duo diversique inter se essent filii, sermo esset? denique numquis sub » *proventu terræ* « omnino filium hominis latere suspicari potuerit? Inde enim quod צמח דוד per *proles Davidis* reddendum est, profecto non sequitur, צמח יהוה necessario *prolem Dei* significare. Nisi vero inde, quod יום אנרחם natales Abrahami significat, sequeretur, יום יהוה natales Jehovæ significare! Etiam minus autem in verbis פרי הארץ, „terra” pro »gens humana« dictum esse potest.

Nonnullis inter hæc argumenta etiam Umbreitii

expositio obnoxia est. Is enim voce צמח יהוה Messiam dici et ipse arbitratur, verum פרי הארץ de fertilitate agri intelligit. Ita duram quidem et intolerabilem opinionem, qua פרי de humana Christi natura dictum esse perhibetur, evitat, sed neque istam difficultatem, qua Messias quasi ex machina loco nostro inferitur, effugit, et novo impedimento implicatur, quod repentinus a Messia ad agrestem fertilitatem transitus vel potius saltus nec ferri nec explicari potest. Quod ad illud attinet, appellat quidem locos Jerem. 23, 5. Sach. 3, 8., quibus sperat sese responsurum interrogantibus, quo quis modo verba צמח יהוה ad Messiam referre potuerit; sed tunc tantum aliquid proficeret, si Jeremias et Sacharia inter majores Jesajæ fuissent, ita ut hic illorum vestigiis institisset; nunc quum ea quæ Jesajas obscure dixit non Jeremianorum dictorum auxilio explanare nobis liceat, frustra, opinor, horum locorum præsidio se tueri conatur. Quod ad novam, in quam incidit, difficultatem attinet, hæc in eo constat, quod quum in textu quidem לצבי et לבאן accuratissime sibi respondeant, in sententia Umbreitii duce oriente de sublimi illa salute, a Messia procuranda, agrique ubertate incommode et inepte ex æquo ageretur.

Tamen Umbreitii interpretationem vero accedere opinor. Sed quum jam eo usque progressus sim, ut dijudicatis alienis expositionibus, quid proprii in promptu habeam, cum verecundia quadam pavideque

promam, missis quæstionibus dogmaticis et christologicis ad merum textum, qualis exhibetur in prophetæ nostri libro, recurrendum esse censeo. Cujus indolem quam accuratissime perspicienti, iterum atque iterum offert se parallelismus ille, quo duce non possum, quin "לפליטת" simul ad utrumque membrum referam, "לגאון" verbo "לצביו", præterea צמה voci פרי prorsus respondere et utrisque vocabulis eandem rem (nempe proventum, fructum) exprimi dicam, denique ut voces יהוה et הארץ eo consilio additas esse censeam, ut alter proventus alteri consulto opponeretur. Primum igitur nego, צמה subolem animalem, פרי proventum plantarium, illud *filium*, hoc *fructum* significare; sed utroque verbo *fructum*, *proventum* designari persuasum habeo. Deinde quum videam, tam de proventu Jehovæ, quam de proventu agri sermonem esse, mentem subit duplex illa fœcunditatis causa; videlicet quum et humo sterili et solis pliviæque negotiis infauste dispertitis messis deficere soleat, utrumque necessarium est: et cœlorum recta dispositio ac numinis alma benedictio et propria agri fertilitas. Ita terræ proventus et » proventus Jehovæ « (id, quod Jehova crescere facit) et » fructus agri « vocari potest.

Sed *opponuntur* sibi proventus Jehovæ et proventus agri! Quam ob causam hæc verba *proprio sensu* nempe de *fertilitate agri*, intelligi posse, negans, *allegorice et per comparisonem* ea dicta esse

contendo. Si enim de fertilitate agri intelligerentur, ea evaderet sententia: »Istis temporibus fore, ut ager Palæstinensis fœcunditate et abundantia frugum excellat.« Recideremus igitur in explicationem *Maureri*, *Ewaldi* etc. Sed recurrunt etiam ea argumenta, quibus eorum opinionem jam refutavimus. Non enim assequor, cur eadem terræ fertilitas duplici ratione describatur, neque autor satis habuerit, proventum ad Jehovam denuo propitium redditum referre, sed proventui divino proventum agri consulto opposuerit. Id vix solius parallelismi consuetudini imputari potest; nam si parallelismus amplificandi tantum gratia adhibetur, scriptores synonymis uti solent, quibus nulla oppositionis nota immista est. Ita noster, si amplificandi tantum studio ductus esset, ita fere scripsisset: כיום ההוא יהיה צמח הארץ לצב ופרי האדמה לגאון

Præterea etiam ea quæ sequuntur interpretationem allegoricam commendant; namque v. 3 sq. sanctitas incolarum superstitum, v. 5 sqq. gratia et clementia et tutela divina celebratur.

Itaque non valde a vero aberraturum me spero, si hunc in sensum locum nostrum acceperim. Israëlītæ, supplicia gravissima perpassi ad resipiscentiam perducuntur, et luxuriam, lasciviam, salacitatem dediscentes ad vitam honestam sanctam laboriosam redire cupiunt (v. 1). His temporibus iis, qui supererunt, benedicetur, abundabuntque honore et gloria. Duæ res locum habeant necesse erit, ut fortunata

illa conditione fruantur; et cœlum et terra sua contribuant ad proventum spiritalem, i. e. et a *Deo* et a *terra* (i. e. ab incolis terræ), aliquid agatur oportebit, sicut ad agri plantarumque fertilitatem et cœlorum pluviae et humi fœcunditas necessariae sunt. Quid autem Dei, quid hominum sit, hoc versu non uberius exponitur, sed versibus sequentibus relinquitur. Versu secundo generatim tantum *actiones Dei salutiferæ, redemptoriæ, sanctificatoriæ* *) opponuntur *actionibus Israëlitarum salutem appetentium et applicantium*.

Has duas res, non duas Christi naturas, inter se opponi censeo. Jam si quis interroget, Messianumne hoc vaticinium habeam an secus, Messianum me habere lubenter concedo, siquidem de ista gratia redemptoria Dei sermo est, qua etiam Messiae adventum implicite contineri Israëlitaë *postea* tam per Jesajam quam per reliquos prophetas edocti sunt. Loco nostro autem doctrinam de Messia quodam venturo *explicite* contineri, vel צמח יהוה per *filius Jehovæ* vertendum esse, prorsus esse negandum haud temere existimo.

Versu tertio Jesajas Israëlitarum erga Deum

*) Vocem צמח יהוה jam Schleusnerus ita explicuit. Sed in eo errasse mihi videtur, quod, quum צמח יהוה sensu tropico de beneficiis divinis intellexisset, alterum membrum פרי הארץ non et ipsum sensu tropico de morigeris incolarum animis, sed sensu genuino de agri fertilitate explicuit.

officia uberius exponere cœpit. Eam igitur partem, quam voce **פרי הארץ** designaverat, collustrat. **קדוש** est oratio recta, continet nomen, quo pro se quisque, Jesaja teste, vocandus erit. »Sancte« unicuique eorum acclamabitur, quos suppliciis præteritis Hierosolymis superstites Deus »vivis adscripsit«, i. e. destinavit, ut ne perirent ærumnis, sed restitutam vivi civitatem conspicerent. Hi omnes igitur tanquam *Deo sacri* considerantur. **קדוש** non solum idololatriæ, cujus nulla fit mentio hoc contextu, sed omni profanationi tam leviticæ quam ethicæ opponitur.

חיים pluralem numerum adjectivi habeo, »vivis adscriptus«, non substantivum »vitæ adscriptus«, quod nimis abstractum esset, quam ut Hebræorum consuetudini cogitationibusque conveniret. Ad sententiam explicandam immerito provocant ad locos Ex. 32, 32; *ψ.* 69, 29 all., ubi »liber vitæ« in universum de propitio Dei erga unum aliquem animo, non de vita in peculiari quodam periculo aut servanda aut amittenda intelligendus est. Majore cum jure contuleris locum 1 Sam. 25, 29.

Versu quarto, quinto, sexto aguntur beneficia, quæ Deus Israëlitis conferre pollicetur. Eam igitur vaticinii partem propheta explicat, quam voce **צמח יהוה** designaverat. Quoad constructionem, *Hengstenbergio* assentare nequeo, qui invito linguæ hebræicæ genio **אם** particulam e versu tertio pendere contendit. Commodius plerique omnes interpretes

versum quartum protasin, versum quintum apodosin habent.

Ea igitur sententia evadit: Quando Deus Hierosolyma totumque populum Judaicum castigando purgaverit, denuo sese suamque praesentiam manifestare incipiet, mutuumque cum populo commercium vitaeque consuetudinem restituet, vel ut accuratius dicam: denuo in medio populo *habitabit*.

Quicquid igitur Deus ad summam populi salutem futuram instituturus esse dicitur, colligitur imagine *habitationis*. Nec de persona Messiae coelitus mit-tenda, nec de opere expiationis nostro quidquam loco exhibetur. Recurrit simplex illa ac vetustissima idea: fore, ut Deus inter medios Israëlitas *habit*et. Hæc spes jam Noachi testamento (Gen. 9, 25 sqq.) inest, si *Hofmannus* recte, ut opinor, verba construxit, quum v. 27 et *ישכן* et *יפת* ad idem sub-jectum *אלהים* referret. Eadem habitationis idea tabernaculi sacri typo adumbrabatur, cui arca fœde-ris cum solio praesentiae divinæ inerat. Atqui quum Jesajas hanc mutuam inter Deum populumque con-suetudinem Deique in populo habitationem iis sup-pliciis, quæ cp. 3 minatus erat, interruptum iri intelligeret, ad restituendam salutem ante omnia resti-tutam Dei habitationem pertinere arbitrabatur.

Hujus autem habitationis futuræ imaginem et figuram ad Mosaici temporis typum et exemplar componit. Duæ res necessariae erant, primum co-

lumina nubis igneæ, Dei gloriam, nomen, personam continens, tabernaculum circumdans, tum ipsum tabernaculum. Has duas partes a propheta consulto discerni, et utramque cum sollertia describi, persuasum habeo. Pace igitur *Hitzigii* collegæ, versum sextum a verbis "כל כבוד" incipientis, equidem versus usitato modo dispesco, atque ita hanc fere sententiam invenio:

1) *Jehova super monte Zion et Hierosolymis nubem creat interdiu, et columnam igneam noctu, ut sit tegumentum *) alium et beneficium totius loci sacri.*

2) *Et erit tabernaculum, quo populus sese recipiat, ut et solis æstum et imbres effugiat.*

Quamvis autem forma et figura sanctuarii futuri sumpta sit a tabernaculi Mosaïci compositione, tamen *Jesajæ* descriptio typum Mosaïcum aliquo modo, quem animadvertere conducit, excedit. Mosis temporibus nubes tabernaculum tantum circumdedit; in *Jesajæ* descriptione כל כבוד i. e. si contextum respicimus, totus mons Zion, tota urbs sacra, fausta illa divinaque nube obvolvuntur. Præterea Mosis temporibus tabernaculum intrare Israëlitæ, nisi sacerdotali munere fungebantur, severa lege vetabantur, et

*) חפה *Gesenius* pro partic. Pual verbi חפה tegere habet. Sed tunc על praepositio non quadrat. Dicendum erat כל כבוד חפה, „et omnis splendor erit obtectus.” Hanc ob rem חפה cum *Winero* substantivum a verbo חפה esse censeo.

in vestibulis sese continere jubebantur; Jesajas vero universum populum ait receptum iri in sacri tugurii præsidium et tutelam. Denique et id dignum est, quod attentis animis respiciamus, prophetæ animo non *templi* sed *tugurii* imaginem obversari; missam igitur facit eam sanctuarii speciem, qua segregatio ista, veteris testamenti indoli summopere conveniens, plebisque a sacerdotibus ipsoque numine separatio ligneis saxeisque dissepimentis quasi erat corporata et in æternum defixa. Contra Jesajas ea utitur forma, quæ primas tantum delineationes sanctuarii retinet; cetera omnia moventur, commutantur, fluctuant.

Atque hoc inter Jesajanam imaginem et typum Mosaicum discrimen non adventicium esse duco. Eam profecto ideam propheta animo volvit, id sibi voluit, id divina inspiratione perspexit, fore ut Deus futuris temporibus ratione interiore magisque spiritali in medio populo habitaret, quam antea. Universum populum intrasse videt intimum sanctuarii adytum; Deum conspicit omnia penetrantem et quasi perflantem.

Tummaxime igitur hoc vaticinium revera consummatum est, quum Deus in Christo esset, et mundum sibi reconciliaret atque in intimum gratiæ suæ sanctuarium reciperet, et spiritu suo sancto totam ecclesiam sanctificare et implere cœpisset.

